Ovid: 2. Trist: 1

rescribe, licet praeter τὸ χαίρισμα ἰαμβάζων, urbs quoque te et legum lassat tutela suarum; quo loco tot opuscula sint quae, nisi nimius μελλητής audire vis, cuncta manus avidi fugere Typographi, ubi commodum erit, indica. me autem, sive commodum est, sive incommodum amare perge. Vir amplissime

Tui constantissimè amantem.

Rijnberk 26. Aug: 1639. C. H.

Ad nobilissimam Schurmannam has perferri quaeso, ut cures. nec ipsa quidem coenobitae nostri abincursu immunis esse potuit. Videbimus an rescriptione dignum duxerit. Cl. Boijum, si ad vos commeat, meis verbis salutari cupio.

Justo Caecilio Puteano.
1. Sept. 1639.

(281)

Securitatis tuae caussa, Juste Caecili Puteane, Parentis maximi fili dignissime, quantoperè mihi curae fuerit, postquam te haec literarum exemplaria ex parte docuerint, scito simul, atque Bergam cum exercitu appulimus, accersito Praefecto memet indicasse, planè tot ambagibus Principi non esse satisfactum: si quid socer peccasset, nihil caussae esse, cur a Genero praestaretur, proinde missum te faceret, neque a Bergensi milite committi ultra pateretur, quo minus libertate indultâ quamplenissimè frueteris. Recepit ille, ut par erat, dicto audientem fore, multa interim questus de Soceri, ut ajebat, perfidiâ. Cujus culpae notâ an non expediat, ut se quamprimum purget, vos videritis, si me audiat, & Χονίσγ. nisi grave est, indica: Patrem verò quem literis, nobisque diu sospitem servassit Deus nec vos non doctissimo Tulleno plurimam salutem meis verbis dicito. Rhenoberkiae X. Cal. Sept. CIƆIƆCXXXIX

Sic de industria.

Fasciculus chartaceus nuper ad Wendelinum a me missus an per manus vestras transierit certior esse velim.

Bannio.

Amplissime ac Doctissime Vir. (282).

Varenium virum nobilem, qui has tradit, non tam tibi commendandum duxi, quam ipsi se. Nondum intelligis quid velim. Experire verò an factâ ei copiâ choragii tui Musici, cantiunculam, in vicem, elicere ab eo possis.

Feliciter